

districtum eorum, et ad derivandum *[a]* aquas inutiles atque superfluas usque in valles. Fecerunt praeterea munitiones frequentes in locis idoneis et necessariis ad resistendum prædonibus et bannitis *[b]*, diurnis atque nocturnis. Munierunt itaque subitus stratum: Solarolum *[A]*, Guihiarinum *[B]*, Zagoriam *[C]*, Sanctam Agatham *[D]*, Cuthignolam *[E]*, Garnarolum *[F]*, Butrium *[G]*, Sezatam *[H]*, Redam *[I]*, Corletam *[J]*, Cerrum *[M]*; super stratum: Blancaignum *[L]* *[N]*, Thaibanum *[O]*, Serram *[P]*, Auzanum, Pythianum *[d]*, Mazzolanum, Terenzanum, in loco Gallisternie, Monte Sancti Rophylli *[e]*, de Sancta Lucia et alia loca quamplurima.// Forlivienses igitur videntes, quod Faventini a Bononiensibus super arcem, quæ dicitur Sambuca, ut supra diximus, in eorum servitium essent invitati *[X]*, cum vangis et sappis *[g]*, eorum fluvium de antiquo alveo extrahentes, in terrenum Faventinorum derivari fecerunt. Quod decem grandia millaria terrarum Faventinorum per spaciun *vii* /devastaverat et novem ecclesias cum villis atque colonis dissipaverat. Occasione vero fossati magni, quod Faventini fecerunt *[h]*, incipientes enim a villa Cambri *[N]*, usque stratum, duxerunt scilicet inter ecclesiam Casalungulæ et hospitale de Bonzanino. Et hoc fecerunt auxilio civium forensium et præcipue comitis Rogerii Guerræ; quod etiam *[j]* die primo mensis Augusti infra spaciun decem et septem dierum compleverant, flu- men vero Liviensem in idem fossatum *[k]* labi facientes. Faventini vero, tunc fines terminorum ignorantes, quos ipsi et Livienses in fundo Cassirani *[N]* et in monte de Bagnolo sub antiquo tempore fixerunt in concordia.

[a] ad derivandum. Sic lego; ad derimandum, Codd. — [b] et bannitis, C. V.; bannitis, C. M. — [c] Blancaignum, C. M.; Blancaicum, C. V. — [d] Pythianum, C. M.; Pitianum, C. V. — [e] Sancti Rophylli, C. M.; Sancti Rosilli, C. V. — [f] essent invitati, C. V.; essent invictati, C. M. — [g] vangis et sappis, C. M.; vangis et zappis, C. V. — [h] Quod decem etc., usque ad Faventini fecerunt, desideratur in C. V.; Faventini fecerunt. Sensus hic claudicat saepe. — [i] Villa Cambri, C. M., Villa Cambri, C. V. — [j] quod etiam, C. M.; etiam deest in C. V. — [k] in idem fossatum. C. M.; in eodem fossatum; C. V., in eodem fossato. — [l] Cassirani, Codd. M. et V.; Cassitani, legit Cl. Mitt.

- [A] Solarolum abest a nobis millaria septem.*
- [B] Erat in plebe Sancti Petri in laguna, ut colligitur ex charta Arch. Azzur., sub 4 jun. 1200.*
- [C] Castrum prope Lugio, modo dirutum (*).*
- [D] Sancta Aghata duobus milliariis a Lugio versus Imolam, a qua distat septem milliariis.*
- [E] Ad dextram ripam Sennii, octo abhinc milliariis, Lugum versus.*
- [F] Versus septentrionem, septem abhinc milliariis.*
- [G] Butrium in plebe Sezatae. Ex charta 1231 et 1258.*
- [H] Plebs distans hinc millaria quinque et dimidium.*
- [I] Distat millaria quatuor.*
- [L] Non procul Sezata. Hinc ad quatuor millaria.*
- [M] Non procul a Cosna.*
- [N] In plebe Saucti Proculi, territorio Faventiae.*
- [O] Vulgo Tebano, non procul a Blancaingo.*
- [P] Non procul Taibano, in quodam monticulo.*

(*) Spectabat ad Comites de Cunio, ut patet ex charta Archiv. Archiep. Rav., anni 1365, Caps. N. n.º 6903.